



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

**NICOLAO DE IESU S.R.E. CARDINALI LÓPEZ RODRÍGUEZ
NOMINATO MISSE EXTRAORDINARIO
AD CONCLUSIVAM CELEBRATIONEM
CENTENARIAE INSTITUTIONIS MEMORIAE
PROVINCIAE ECCLESIASTICAE MANAGUENSIS**

Venerabili Fratri Nostro

Nicolao de Iesu S.R.E. Cardinali López Rodríguez

Archiepiscopo Metropolitae Sancti Dominici

Metropolitana Ecclesia Managuensis quam Praedecessor Noster sanctus [Pius X](#), illius regionis fidelium pastoralibus prospiciens necessitatibus, die II mensis Decembris anno MCMXIII Constitutione *Quum iuxta apostolicum effatum* condidit, grato animo centenariam celebrat institutionis memoriam. Dilecti istius ecclesialis communitatis fideles, Venerabili Fratre Leopoldo Iosepho Brenes Solórzano, diligenti sacrorum Antistite moderante, hunc eventum recolentes, spiritale iter assidue prosequuntur Domini vocem studiose auscultantes. Multa revera adimplentur incepta, potissimum his postremis tribus annis pastoralis praeparationis, quae non solum hac in Metropolitana Ecclesia, sed etiam tota in Natione efficiuntur ut omnes Domini largitatem clare laudent atque incitamentum ad renovatam vitam experiantur sub Christi lumine assidue sequendam.

Memoratus Archiepiscopus Metropolita Managuensis humanissime rogavit ut aliquis eminentis Vir mitteretur qui Summi Pontificis vices Managuae gereret Eiusque erga istum gregem dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui Metropolitanam Ecclesiam Sancti Dominici prudenter moderaris, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad conclusionem dictarum celebrationum, quae in urbe capite Nicaraguae die II proximi mensis Decembris sollemni modo perficietur.

Celebrationi praesidebis Eucharistiae in cathedrali aede Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis atque Archiepiscopum Metropolitanam aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad assiduam Christi vitae imitationem cohortaberis. Optamus denique ut cuncti, insignem Metropolitanae Ecclesiae Managuensis historiam recolentes, novis viribus novoque studio peculiarem dilectionem erga Christi Ecclesiam et Evangelium demonstrant atque fidei alacritate in cotidiana vita emineant.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, intercedente sancto [Pio X](#), in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIX mensis Novembris, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

FRANCISCUS